

nus dierum fuit ccciv. solaris cccxv. Redundant igitur dies quotannis xi. Sed Romani, perinde ac si ccciv. dumtaxat dierum annum suum fecissent, quotannis supra Lunæ ratiocinia dies accrescere putabant xi. qui cum anno Romano conjuncti conficiunt dies cccxvi. Quocirca lunarem annum existimabant esse præcisè dierum ccciv. solarum cccxv. Igitur quotannis diebus xi. hunc illo majorem esse censabant. Sed ob imparis numeri superstitionem diem unum ad lunarem annum adjugebant. Ita solaris annus super lunarem epactas habuit xxi. sed quod unus ex illis dies ad lunarem accederet (erat enim dierum ccciv.) idè non plures quàm xi. epactas numerabant. Porro si excessum illum vicies bis multiplices consent dies cccxvi. hora xxi. qui ad 7810. qui sunt anni Romani simplices viginti duo, additi conficiunt dies 8057. hor. 12. in annis Romanis xxi. At Juliani totidem dies habent 8055. horas 12. Differentia amborum est dierum 22. Sed propter horarum redundantiam præcisè æquatio fieri non potest. Ea verò fit in annis xxiv. Nam Romani anni xxiv. dies colligunt 8790. solares 8766. differentiam amborum est dierum xxiv. Totidem igitur eximuntur post annos xxiv. Quare non annis xxi. ut perpetuam ariolatur Scaliger, sed xxiv. definita est Romana Periodus; in quo veteres omnes consentiunt. At enim Merkedius non plures dies xxi. habuit. Verum præter Merkedium, diem insuper unum inferebant, qui annum completet dierum ccciv. isque dies post annos xxiv. unà cum Merkedino eximi consueverat. Quare paulò est accuratius modò disputandum, unaque Romani anni ratio ex veterum Scriptores testimonio, non ex absurdis, & Scaligerianarum similibus conjecturis eruenda.

CAPUT LXXIV.

De anno Romanorum vetere accurata disquisitione.

UTRUM decem, an duodecim mensibus præcisè Romuli annus evolueretur, dubitatum est à veteribus. Nam Licinius Macer, ac Feneftella, ut auctor est Censorinus cap. xx. jam tum ab initio duodenum mensium existisse putabant. Alii, ut Junius Graecianus, Fulvius, Varro, Suetonius, Ovidius i. Fastorum, quos reliqui sequuntur omnes, Plutarchus in Numa, Solinus cap. III. Censorinus, Macrobius lib. i. Sat. cap. xii. decem tantummodò mensium constitutum annum à Romulo prodiderunt; dierum verò ccciv. quos ita dispensatos fuisse Solinus, Macrobius, & Censorinus affirmant.

Table with 2 columns: Month name and number of days. Rows include Martius (xxx), Aprilis (xxx), Maius (xxx), Junius (xxx), Quintilis (xxx), Sextilis (xxx), September (xxx), October (xxx), November (xxx), December (xxx).

At Plutarchus de Romuli anno, & mensium dispositu aliter sentit: Nimirum mensis aliquos xxv. dierum fuisse, aut etiam plurium; quosdam ne vicenos quidem habuisse: cum id unum spectarent, ut cccix. dies anno tribuerent. Sanè totidem dies lunari anno à vetustissimis Græcorum attributos, auctores sunt Herodotus, Geminus, & alii, ut supra lib. I. planum fecimus. Unde non absurda mihi Plutarchi sententia videtur, qui Romuli ætate censet anno cccix. dies imputatos; quod sine dubio à Græcis didicerant. Verum communis est, ut diximus, opinio, non plures, quàm & mensis x. & dies ccciv. Romuli anno competisse. Quamquam de mensibus, quod idem Plutarchus commemorat, nonnullos xxv. dierum existisse; alios ne xx. quidem ex eo confirmare licet, quòd Censorinus cap. xxi. scribit, Albanos, quorum coloni fuere Romani, Martio dies arrogasse xxxvi. Maio xxi. Sextili xviii. Septembri xvi. eisdemque denos mensis con-

stituisse docet idem cap. xx. quod fortasse Romulus militaris gloriæ, quàm celestis doctrinæ cupidior fecerit. De quo nihil affirmare audeo. Illud constat, Romuli annum à Numa Pompilio, & ab aliis postea castigatum fuisse, ac vel menses additos duos, vel, si jam totidem essent, dierum in illis dispositionem, & ipsorum ordinem esse mutatum. Nam cum primus antea Martius fuisset, tertius ab illo factus est; primus autem Januarius, secundus Februarius: qui ambo vel antea non existiterant, ut plerisque placet, vel undecimum, ac duodecimum in locum congesti fuerant, ut esset postremus omnium Februarius. Ceterum hæc à Numa castigationis initia est ratio, ut iidem illi auctores asserunt. Cum annus esset dierum ccciv. ad eum numerum xi. dies addidit, annique modum diebus ccciv. definiit. Tum de senis illis mensibus, qui tricenarii sunt, singulos detraxit, qui ad xi. accedentes lvi. compleverunt; ex quibus menses illi duo formati sunt, Januarius xxx., Februarius xxviii. dierum, ut ex hoc laterculo perspicuum est.

Table with 2 columns: Month name and number of days. Rows include Januarius (xxx), Februarius (xxviii), Martius (xxx), Aprilis (xxx), Maius (xxx), Junius (xxv), Quintilis (xxx), Sextilis (xxv), September (xxv), October (xxx), November (xxv), December (xxv).

Ita numerum imparem, quo tantopere delectatus est, in omnibus adhibuit, utò exempto Februario, qui propterea velut inausus diis Manibus consecratus est. Modus anni lunaris, Numæ opinione, tum erat dierum ccciv.; sicè imparis amore numeri diem unum superfluum adjececit, qui suo tempore cum Merkedio, uti mox dicetur, erat eximendus. Solaris annus, ut iidem illi Scriptores existimant, dierum cccix.; habebatur, de quo valde dubito. Nam nondum per illa tempora Græcis tam accurata anni descriptio sublatuisset videtur: necum Romanis, aut Albanis, qui à Græcis, & quidem vetustissimis colonis, potius quàm recentioribus, traditam anis formam acceperant. At illi ipsi Græci antiquiores, ac fortassis etiam sub ætate Herodoti, longè majorem solaris, & lunaris anni modum tenere, uti libro primo demonstratum est. Quare mirum valde est, siquidem est verum Romanos Lunæ, ac Solis, & hujus præsertim, vestigia tam propè consecutos esse, quòd nondum Græci obtinere poterant. Verumtamen quoniam propter scriptorum antiquiorum inopiam, ac temporum illorum obscuritatem, aliter, quàm ab recentioribus istis memoria præditum est, de Pompiliano anno statuere non possumus, nisi divinationes ac commenta nostra, ex Scaligeriano instituto, venditare malimus, idè anni utriusque rationem sequamur, quàm auctores illi tradiderunt. Hoc modo cum Romanus annus dies haberet ccciv., post biennium dies erant à solari 499. superflui xx. horæ xii. Sed Numa, aut quisquis alius auctor intercalandi fuit, perinde ac si dies nullus supervacuis, hoc est trecentisimis quinquagesimis quintus, esset adjunctus, xi. dies à singulis annis, biennio verò xxii. horas xii. attribuit. Ita factum ut alternis intercalaris mensis brevissimus modò xxii. modò xxiii. dierum insertus fuerit. Hunc Merkedium Plutarchus in Numa vocat. Macrobius tamen dubium facit, utrum à Numa, an à Tullio, an Decemviris primum intercalatum sit. Varias enim de ea re veterum sententias attulit. Ac mihi quidem probabilè videtur, Numam Romanum annum merè lunarem constituisse dierum ccciv., cum uno die, qui Januario arrogari consueverat, & embolimaos, Græcorum exemplo, tertio ferè anno, interdum & secundo inferi jussisse; sed posterioribus temporibus, cum jam annus, mensisque in eum modum ordinati à Numa, publicè jam recepti forent, placuisse, ut annus propius, ac breviori intervallo Solis vestigia premeret; indèque altero quoque anno constatum ex diebus illis, quibus Lunam Sol

* Servius in 1. Georg. ad ista Vere novo gelidus, observat decem tantum menses, apud Majores fuisse, & Martium primum: duo

verò, ait, præter rationem signorum anni intercalabantur, qui postea à Jano & à Februario nominari sunt. D. Petavius.

Sol excederet, mensem intercalatum fuisse. Movet me ut ita sentiam illud in primis, quòd primus anni Romani conditor lunaris spatii potissimum rationem habuit, cum & ccciv. dies præfinit cum insertio die, & mensium descriptionem planè lunarem instituit; in hisque dierum appellaciones ad lunares quædam accommodavit, veluti Nonas, Idus, &c. Quæ omnia argumento esse possunt lunarem initio apud Romanos annum existisse. Nam si in ipso condendi anni exordio Solis ratiocinia consecrari malissent, id in singulis annis fecissent potius augendo in menses dierum numero, quam post biennium curtis illis mensibus intercalandis. Quamvis simile huic apud Græcos veteres intercalandi rationem fuisse persuadet Herodotus. sed tum major erat, quàm quæ à Numa usurpata dicitur, anni lunaris quantitas, uti superiore libro declaravimus. Non possum igitur ab ea conjectura discedere, quin ab alio postero Rege, vel à Decemviris existimè novissimum illum Romani anni methodum, & Merkedii intercalationem excogitatum fuisse, quod nescio an non & Livii locus ille significet; qui ex lib. i. citatur à Scaligero, ubi disertè scribit Numam ad Lunæ cursum in xii. menses annum descripsisse, & intercalari mense interponendo post xxiv. annos ad metam eandem Solis, unde orsi essent, annum spatia revertisse. At ubi intercalaris Merkedonius est admittus, lunaris esse procul desit. In quo Dionis error castigandus, qui Romanos ante Julianam correctionem menses ad Lunam direxisse scribit. *ἡ δὲ πρὸ τῆς ἀρχῆς ἐπέσθην ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς μῆνης ἕξον.* Nam ad Lunæ circuitum adhuc per illud tempus menses dirigebant. Si altero quoque anno dies xxii. aut xxiii. ad lunarem annum adjugebant, quomodo menses Lunæ motui responderè poterant. Sed quandoniam, & à quo primùm instituta sit intercalatio Merkedonii inter veteres ipsos minime constat, uti diximus. Illud perinde est incertum, à quo sit Februarius mensis secundo loco constitutus. Id enim à Numa minime esse factum inde patet, quòd utique postquam institutus est iste mensis aliquandiu postremus esse debuerit. Nam & duodecimum, & ultimum fuisse plerique initio perhibent, & Terminalia postremum anni diem obtinuisse peraque consentiunt. Ovidius II. Fastorum Decemviris mutationem illam sitis Februarii tribuit, his versibus.

Sed tamen (antiqui ne nescius ordinis error) Primus, ut est, Jani mensis & ante fuit. Qui sequitur Januam, veteris fuit ultimus anni. Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras. Primus erat Jani mensis, quia Janua prima est, qui sacer est omis manibus, imus erat. Postmodo creduntur spatio distansia longo Tempora bis quini continuasse viri.

Ergo aliquot sæculis Februarius novissimus mensis fuit, unde & in eodem intercalatum est: Martius verò secundus.

De Calendarum, Nonarum & Iduum vocabulis ita sentit Macrobius, lib. i. cap. xv. Romulum, ut erat acri quidem, sed agresti ingenio, initium cuiusque mensis ex illo sumpsisse die, quo novam Lunam contigisset videri. Quia verò alias tardius alias celerius appareret, accidit, ut cum tardius apparuisset, præcedenti mensi plures dies; aut cum celerius, pauciores darentur. Ita casu factum, ut quot cuique mensi dies primùm attributi sunt, totidem deinde retenti sint. Verum biduum illud, quo menses aliqui pleniores erant, inter Kalendas & Nonas inferebantur. à Nonis ad Eidas semper octo dies erant, ita ut Nonæ propterea vocate sint, quòd nonus retrò dies esset: inter Eidas, ac sequentes Kalendas, sedecim dies perpetuò numerati. At Casar cum certis mensibus duos adjececit dies, ordinem noluit mutare Nonarum. Unde vetus Nonarum numerus in Julianis mensibus perseverat. Nam quatuor illi soli menses sex Nonarum dies habent, qui olim uno, & triginta diebus constabant, videlicet Martius, Maius, Julius, October. Jam Calendarum vox inde deducta, quòd Pontifex minor illo die quinquies, aut septies calandi vocabulum repeteret, prout quintus, aut septimus à Calendis dies erant Nonæ. Nam Eidas dicitur & Eidas, id est à plena Luna specie dictas esse, auctor est Plutarchus Quæst. Rom. Quæst. xxiv. ut & Dionys. Halicarn. quem citat Eusebius lib. iv. de Præp. pag. 96. ubi Eidas in-

terpretatur ἀρχαῖος ἡμέρας, hoc est, quia in dimidiatum mensis incurrit, non dicitur ἡμέρας, sed dicitur ἡμέρας ἑξοκὸς deducta. Quamobrem verisimile est fortuitam varietatis illius originem fuisse, quòd plures, paucioresve Nonæ certis mensibus additæ sint. Neque enim Scaligeriana illa ratio satis solida videtur, ex eo, quòd ab intermensura Luna ad Ἀρχαῖος nunc septem, nunc sex dies sint accessisse, uti Nonæ aliàs septimo, aliàs quinto à Calend. die ponerentur. Nam si id verum esset, alternis mensibus id oportuit fieri. Deinde nullius mensis Nonæ sextum à Calendis obtinent diem, sed quintum, aut septimum. Postremò Plutarchus prudenter admonet in istarum rerum indagandis originibus nimium subtiles, & exactos esse non oportere.

Nunc de superfluo illo die, qui ad lunarem annum imparis numeri studio accessisse fertur, agendum nobis est: nam de eo non indigna relatu sunt, quæ Macrobius scripsit. Refert enim Pompilius ad annum Romuli, qui quatuor supra trecentos diebus sinebatur, quinquaginta dumtaxat addidisse, & sex è veteribus mensibus detractis diebus, binos menses, singulos xxvi. dierum constasse. Postea tamen in honorem imparis numeri unum adiecit diem, eumque Januario dedisse. Unde accidit, ut cum antea dies supra Lunam undecim cum quadrante solaribus rationibus imputarent, postquam superfluum illum diem adjececerunt, totidem nihilominus tribuerent. Pergit Macrobius, & ista subjicit. Cum sæpè eveniret, ut nundinæ modò in anni principem diem, modò in Nonas caderent, utrumque autem perniciosum Republicæ puraretur, quo illud evitari posset, diem illum, quo abundabat annus, eorum arbitrio permisimus, qui Fastis præerant, ut cum vellent intercalarent: *Dummodò, inquit, eum in medio Terminaliorum, vel mensis intercalaris ita locarent, ut à suspecto die celebritatem averterem Nundinarum.* Hæc Macrobius; quæ sunt sanè exculenta, neque à Scaligero prætermitti debuerant. Et is verò satis apparet, Romanos tum lunarem annum diebus non ccciv. sed uno minùs constituisse. Deinde superfluum illum diem non certum in Januario locum habuisse, sed pro nundinarum opportunitate dilatam, vel præcipitatum ejus institutionem. Quod, ut Macrobius verba significant, anno etiam antecedente in sequentem provisum est, quoties alioquin in anni caput incurrent Nundinæ. Ut si anno sequenti ordinarius dierum decursus Nundinas in Calend. Jan. conferret, hoc ipso anno dies aliquis auferendus, vel addendus fuerit, ut ne in Cal. Nundinæ conveniant. Quod in Januario, vel Februario facilitatum Macrobius indicat. Quare anno ferè antè provisum istud fuerit. quomodo Judæi, qui ad vitandum certarum feriarum concursum cum Tifri, vel Nisan Nomeniis, unum addunt, ac detrachunt diem, non abruptè, sed anno antè solido faciunt. Quamvis perobscure sanè Macrobius loquitur. Quid enim est diem illum in medio Terminaliorum, vel mensis intercalaris collocatum fuisse? An Merkedius xxv. dierum esse quandoque potuit, hoc est xxxii. ordinariorum cum superfluo illo, & additio? Deinde non satis explicat, quomodo Nundinarum cum anni capite concursus vitatus fuerit; quòd sola diei illius intercalatione fieri minime potuit; nisi etiam anno, ut dictum est, antecedente superfluum alterum diem adjececerit, aut ordinariarum è contrario aliquem expunxerit. Quocirca mihi non aliter Romani præcisè illis temporibus egisse videntur, quàm postea, Juliana formâ conditi, instituisse Dio refert, lib. xlviii. ubi scribit anno Urbis dccxiv. Domitio Calvino & Asinio Pollione Cosl. ne Calend. Januarii sequentis in Nundinas incidere, unum esse diem præter morem intercalatum, ac deinde alium exemptum, uti annus Julianæ ordinationi responderet. Quod & olim usurpatum fuisse idem significat. Ad eundem itaque modum suspicamus quoties Nundinæ in Calend. Jan. incurrerent, diem unum præter ordinem in Decembrem inculcatum esse, & alterum postea de Januario, vel altero mense detrachum; aut contra Decembri subtrachum, & Januario restitutum: itidemque ne in Nonas, vel alterum religiosum diem Nundinæ convenirent, unum in Januario insertum diem, hoc est superfluum illum, qui non statim, sed tæmque Romano in Calendario sedem occupabat, sed ex Pontificum arbitrio opportunè dispensari solebat, quo Nundinarum cum Nonis concursus evitaretur. At Macrobius unum illum superfluum diem in medio Terminaliorum,

vel mensis intercalaris locatum perpetuo fuisse demonstrat. Quod si verum est, jam Februarius, non Januarius XXI. diebus constabit, cui veteres omnes repugnant; aut certe Merkedonius numquam XXI. dierum exstiterit, sed aut XXIV. aut XXV. Nam quotannis ille dies intercalatus est, ut esset annus dierum cccv. Potest & illud occurrere; nonnumquam Romanum annum dies habuisse dumtaxat cccv. cum scilicet ne insequentis anni Kalendae in Nundinas caderent, superfluous omittetur dies: aut verò cccv. dies anno alicui isdem de causis attributos, exolefcente paulatim impari numeri superstitione: ut propterea Macrobius dicat, Pontificum arbitrio permissam dici illius intercalationem fuisse, quoniam aliàs intercalabatur, aliàs omittabatur intercalatio, prout illis visum fuerat. Sed ex omnes conjecturae, quamlibet verisimiles, pro confessis ac liquidis minime sancienda sunt; sed ut probabiles ambiguis de rebus opiniones Lectoribus offerenda.

Illud sane ex Macrobio testimonio non absurdè colligitur, Romani conditorem anni modum lunarem diebus cccv. non, ut Scaliger, cccv. definiti voluisse, ac superfluum diem non pro legitimo, & ordinario habuisse, sed pro alieno, ac propter superstitionem intruso, cui nullus certus locus esset additus. Denique Scaliger lib. iv. pag. 430. cum de bissexto disserit, locum illum Macrobio vexat, in eoque declarando multa suo more yaticinatur. Primum illud repetit, quod & hoc libro docuerat, Romanos perinde ut Græcos diem unum intercalasse, eamque intercalationem appellasse Olympiadum mysteria. Eundem porro diem unum ex Merkedonii diebus fuisse censet, nempe vicimum tertium; ita tamen ut non semper in fine Merkedonii diem illum intercalarent, sed interdum extra ordinem in fine anni communis, ejusque Decembris, qui tum dierum fieret xxx. pro ordinariis xxx. Sed hæc falsa sunt. Primum dies iste intercalaris non eo modo, quo Scaliger arbitratur, insertus fuit à Romanis; videlicet quod solarem annum Juliano modo constare crederent: sed ex superstitione redundabat, ut auctor est Macrobius, à quo solo illum didicidit diem. Sed nec unus fuit ex Merkedonii diebus. Nam Merkedonius altero tantum anno, dieque autem ille quotannis inferebatur. Fallitur præterea cum asserit Terminalia, cum fiebat *ἐξαιρέσις*, anticipata esse. Nam immota consistebant in XXI. Februarii.

CAPUT LXXV.

Expenditur Livii locus, deque commentitia Periodo Romanorum agitur.

Quod de superfluo illo die ex Macrobio auctoritate didicimus non parum nobis ad Romanæ Periodi rationem intelligendam prædidit, & utilitatis asserit. Hanc enim Scaliger duobus & viginti dumtaxat annis circumscriptam fuisse magna cum fiducia disputat, nec Livium, & antiquos omnes arguere veretur, qui XXI. annos eidem Romanæ Periodo tribuunt. Livius quidem primo libro his verbis illud exponit. *Atque omnium primum ad cursum Luna in XII. mensibus describitur annum; quem quia tricenno dies singulis mensibus Luna non explet, desinque dies solito anno, qui solstitiali circumagitur orbe, intercalares menses interponendo, ita dispensavit, ut vicinimo quarto quoque anno ad metam eandem Solis, unde orbi essent, plenis annorum omnium spatii dies congruerent.* Hæc Livius, cui Macrobius suffragatur: qui cap. XII. tertio quoque octennio dies aut XXIV. fuisse subtractos, quod superfluous ille quotannis insertus spatio illo cumlaverat. Scaliger tamen exploratum est, omnes illos auctores esse mentitos, falsissimumque esse, Romani anni circuitum XXI. annis absolvi, sed XXI. contineri. Sic enim disserit: Merkedonius numquam XXI. dies excedebat, non igitur XXIV. dies exempti: proindeque nec annus XXI. ad peraquandas anni rationes expectatus est, in quo XXV. dies superflui colliguntur. Verum perspicuum est XXV. annis aptissime cum solari, & Juliano anno Romanum conciliari potuisse. Anni Romani XXIV. si Merkedonius non omittatur, dies colligunt 8790. totidem Juliani 8766. differentia dierum est XXV. quibus omissis præcisa fit æquatio. Nam Merkedonius anni vicinimi quarti diebus constat XXI. quo cum superfluous quoque ille dies prætermittitur est, nempe tre-

centesimus quinquagesimus quintus. Ita ad eandem Solis metam anni intervalla revocantur. Quod in XXI. annis fieri non potuit. Nam horæ XII. abundant, quas in alterius Periodi finem reservatas divinat Scaliger. Atqui si id verum est, non XXI. annis, sed XXV. Romana Periodus definienda fuit. Præterea nimis infulse, ac temere quantumvis probabilis conjectura, expressis antiquorum Scriptorum testimoniis opponitur. Exploretur itaque vana illa Scaligeri sententia de XXI. annis Romanæ Periodi; ex qua ludicra sæcularium ludorum, ac temporum origo proficitur; ad cujus convincendam falsitatem transferenda nobis est oratio.

CAPUT LXXVI.

De sæculi Romani origine. Scaliger.

EX Periodo Romana, que duorum & viginti annorum erat, & Romano lustro, natus est orbis annorum ille, quod sæculum appellatur, quodque ex. annis constabat. Continet enim Periodos quinque, quarum prima anno primo lustri quinquennalis incipit, secunda à tertio, tertia à quinto, quarta à secundo, quinta à quarto. In sexta lustrium redibat in orbem suum. Hoc tempus Romani vocabant sæculum, quod erat lustrium XXI. Periodorum v. annorum ex. ut Horatius testatur in sæculari carmine.

Certus undecim decies per annos
Orbis ut cantus, referatque ludos.

Ob eam causam anno centesimo decimo vertente, incunte centesimo undecimo, ludæ sæculares celebrabantur; quo tempore annus in Solem, lustrium in annum, Periodus in lustrium conveniret. Quam rationem verisimam, & à nulla fabularum affectatarum origine petitam, neque Varro, neque omnis Senatus Criticorum intellexit. Nam intervallum illud ex. annorum summa veneratione à veteribus Romanis observatum est, cum eo confecto ex Quindecimviro commentariis ludi instaurarentur. Ab illis enim ludis, quos Quindecimviri primos celebratos prodiderunt, anno cxcv. Marco Valerio Sp. Virginio Coss. ad alteros, qui anno cccviii. repetiti sunt, intervallum est annorum ex., & sic deinceps ad reliquos ludos, quos Censorinus commemorat, usque ad postremos, quos Severus Imperator indixit.

Primi ludæ sæculares editi sunt anno Urbis cxcviii. à quibus si ex. annos subtrahas, relinquetur annus ci. xxxviii. qui erat annus Servii Tullii decimus, quo tempore lustrium primum ab eo conditum. Nam quod scriptum exstat apud Censorinum, à lustro primo ad ultimum, quod conditum est anno dcccvi. ab U. C. annos intervallum paullo minus sexcentos quinquaginta, id potius Librarii, quam Censorini error est. Nam hoc modo Servius Tullius initio regni sui lustrium condidisset, quod falsum est. Nos omni asseveratione contendimus, non solum primum lustrium conditum anno Tullii decimo, sed etiam hinc repetendam esse originem ludorum sæcularium.

Quod autem primum lustrium eo anno, quo diximus, conditum sit, patet ex Fastis Capitolinis. Nam in illis anno U. C. cdliv. lustrium xlvi. conditum, & anno dlxxxiv. lustrium quinquagesimum. Quinquaginta lustra sunt anni 250. qui ab annis 574 abjecti relinquunt 324. Rursus abjice annos Urbis 189. post quod tempus proximè censemus lustrium esse conditum: remanent anni 135. que sunt lustra 27. intermissa post primum illud Servianum. Unde colligimus lustra, que ab Augusto condita sunt, longè differre ab illis Servianis. Quippe in instaurandis lustris nullam rationem lustrium Servianorum habuit, sed annorum Urbis. Nam, verbigratia, lustrium Augustus condidit C. Martio Censorino, C. Asinio Gallo Coss. cum octo ante annis ludos sæculares edidisset: quod non convenit instituto Servii Regis, quem constat primo lustro Periodi centesimum egisse.

CAPUT

CAPUT LXXVII.

De sæculi Romani origine absurda Scaligeriana commenta discutuntur; ac vera de lustris Romanis doctrina proponitur.

SPECIOSAM illam sæculi Romani descriptionem meram esse fabulam ad pompam & ostentationem ordinatam, patet ex eo, quod nullo veteris ullius auctoris testimonio, sed sola commentii jocularis lascivia nititur. Nam ex eo pendet omnis, quod paullo antè refutatum est, Periodum Romanam, qua vertente, Merkedonii exemptione cum Sole Romanus annus in concordiam redibat, XXI. annis comprehendam fuisse. Hoc verò solus excogitavit Scaliger; veteres omnes XXV. annos præsumunt, ut Livius, & Macrobius. Quid est autem minus ferendum, quam sibi tantum assumere, ut quod opinione sua fixerit, id restat, & vetustate corroboratis antiquorum decretis antependendum existimet? An de Romano anno Livio potius, ut de Macrobio tacere non assentiar, Romano utique Scriptori, quam Scaligero, qui mendacii Livium arguit, eique non Scriptoris alterius auctoritatem; sed commentum suum, hoc est, meras fabulas opponit? Quamobrem tota illa sæculi Romani, & lustrium enarratio ficta est, & fabulosa, quam omnis retrò antiquitas ignoravit. Romana quippe Periodus non XXI., sed XXV. annis evoluta, nihil commune cum lustris habuit.

Præterea que de sæculi spatio ad opinionem suam comprobendam attulit, parum certa sunt, ut ex Censorino liquet. Ex quo nonnulla hic exponam, quibus tota res illustretur. De Romano itaque sæculo disputans Censorinus cap. xvii. modum ejus incertum esse docet. Nam alii, ut Antias, & Varro, centesimo quoque anno sæculares ludos institutos existimant. Quibus accedit & Livius lib. cxxxvi. qui & sæculi terminum centesimo anno circumscribit. Alii centesimo & decimo definiunt sæculum, ut Horatius, & commentarii Quindecimvires, qui in describendis ludorum sæcularium intervallis ab Antiate discrepant. Etenim primos ludos sæculares à Valerio Pabiscola institutos esse Valerius Antias ait, anno Urbis cxxv. Quindecimvires libri anno cxxviii. M. Valerio Sp. Virginio Coss. Rursus alteri ludæ celebrati sunt, ut Antias refert, anno cccv. à Quindecimviro libri in annum conferunt cccviii. Marco Valerio Corvino II., & Caio Pætilio Coss. Tertii ludæ fuerunt, Antiate, Livioque auctoribus, Publio Claudio Pulchro, C. Julio Pullo Coss. anno dv. ex Varro. At Quindecimviri notant eos anno dxviii. Pub. Cornelio Lentulo, & C. Licinio Varo Coss. De quartorum Indorum anno triplex opinio est. Antias, Varro, & Livius relatos esse prodiderunt anno dcv.; L. Martio Censorino, M. Manlio Coss. At Piso Censorius Cn. Gellius, Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat, anno dcviii. Cn. Cornelio Lentulo, Lucio Mammio Achæico Coss. In Decemviro commentariis notantur sub anno dcccviii. Marco Emilio Lepido, L. Oreste Coss. Quintos ludos C. Furnio, C. Julio Silano Coss. antio dcccxxviii. Cæsar Augustus, & Agrippa fecerunt. Sextos egit Tiberius Claudius Cæsar se iv., & L. Vitellio III. Coss. anno dccccc. Septimos Domitianus, se xvi., & L. Minutio Rufo Coss. anno dcccccxi. Octavos Imp. Septimius, & Marcus Aurelius Antoninus, Chilon, & Libone Coss. anno dcccccxvii. Hæc ex Censorino. Hinc, ut idem concludit, animadvertere licet, neque post centum, aut centum, ac decem annos statum fuisse, ut hi ludi referrentur, neque ut id verum sit, satis argumenti esse, quo quis his ludis sæcula discerni constanter asseret. Quare mutat illa Scaligeri ratio, qui præterquam quod falso de Romana Periodo judicat, incertam rem velut firmam, atque exploratam assumit, nempe sæculare spatium ex. annorum fuisse: cui vetustissimi ferme ex Romanis Scriptoribus repugnant; qui centenis annis sæculum includunt. Alterius autem sententia propugnatores longè quam illi recentiores videntur, nec ante Augusti imperium exstitisse. Ac mihi sanè attentius de ea re cogitanti, ita veniebat in mentem: sæculares illos ludos præcis temporibus certa nulla lege, ac definito intervallò fuis-

se redditos. Nam veriora illa credimus, que antiquissimi Scriptores, utputa Valerius Antias, memoria prodiderunt, quam que ab Quindecimviris notata feruntur. At secundum illos, à primis ludis ad secundos intervallum est annorum lxi. Ab his ad tertios, cci. Hinc ad quartos, c. vel ciii. Ab his ad Augusti ludos, anni sunt cxxx. vel cxxiii. Deinceps verò non minor perturbatio fuit. Tiberius Claudius Cæsar in sæcularibus ludis instaurandis non superiorum, sed annorum urbis, & centenariorum rationem habuit. Domitianus verò ad quartos respexit, qui anno dcv. habiti feruntur, quemadmodum & secundi cccv. sic quasi post annos urbis centenos quoque ac quinos indici legitimum foret. Qua ratione centum annis definitum est sæculum. Quod ad Quindecimviro commentaria spectat, in quibus ludæ sæculares per ex. annorum spatia digesti sunt, eos sacerdotes arbitror ex ingenio, atque opinione sua intervallum ejusmodi constituisse, ac ludos ad illos annos adnotasse, non ut ex veteribus factis didicerant, sed quemadmodum collocandi erant, ut & post ex. annos redirent, & Augusti sæcularibus congruerent. Igitur ad epocham Augusti sæcularium ludorum intervalla direxerunt, ac primos ludos in eo anno fixerunt, à quo deinceps ad Augusteos quater ex. annorum spatium intercederet, ut ludæ quinti in annum dcccxxxviii. incidere. Ita Scaligeriana conjectura refellitur.

De primo lustro à Servio Tullio condito idem non sine ingenti hallucinatione disputat. Annum quippe decimum Tullii comparat cum anno urbis cxxxviii. quod est falsissimum. Nam ex eo consequens erit Reges ad annum usque cxxviii. vel cxxviii. imperasse. Servius Tullius annos regnavit xl. iv. Tarquinius Superbus xxv. Fiant demptis Tullii prioribus decem anni ex, qui cum cxxxviii. conjuncti annos dant cxxlviii. Primus itaque Tullii incidit in annum cxxviii. decimus in cxxxv. Nam si ad hos annos adjeceris reliquos Tullii xxxiv., & Tarquini xxv. hoc est lxx. consent anni cxxlv. quot videlicet Romanis Regibus, ipso adimplulante Scaligero, ab Auctoribus assignantur. Proinde triennio toto is aberrat, dum annum decimum Tullii Urbis esse dicit cxxxviii. Ac si id est verum, quod Onufrius sentit, eumque fecerit ceteri, Tullium anno cxxxvi. lustrium condidisse, si annos ex. adjicias, primi sæculares ludæ incidere debuerunt in annum Urbis cxcxvi. non in cxcviii. M. Valerio Sp. Virginio commentarii referent. A decimo autem anno Tullii, id est Urbis cxxxv. numerati anni ex. desinunt in cxcv. quo nulli sæculares commissi sunt.

Sed de primi lustri à Servio conditi tempore accuratius modò disputandum, quod perperam, ut vidimus, Scaliger in annum Regis illius decimum contulit. Onufrius id ipsum anno ejusdem xl. vel xii. contigisse scribit, qui est Urbis cxxxvi. vel cxxxviii. Quod quidem duplici argumento confirmat. Alterum est quod Censorinus cap. xlii. inter primum lustrum à Tullio conditum, & septuagesimum quintum, quod à Vespasiano v., & Tito Cæfare III. Coss. factum est, annos intercessisse refert plus minus dcl. Atqui ab anno Urbis cxxxvi. ad annum dcccxxvi. in quo Vespasianus, ac Titus lustrium condiderunt, anni intersunt dc. Igitur anno cxxxvi. vel sequente, lustrium est à Tullio conditum. Alterum argumentum ex Livio desumptum est; qui post victos Etruscos Ser. Tullium censum fecisse scribit. Porro in Tab. Capitolinis secundus Ser. Tullii de Tuscis triumphus notatur anno Urbis cxxxvi. Quo actò verisimile est; statim censum à Tullio conditum fuisse. Atqui neutrum Onufrii argumentum primi lustri tempus illud adstruit. Primum enim Censorinus non annos dcl., sed paullo minus sexcentis quinquaginta intercessisse scribit. Quos si de annis dcccxxvi. detrahas, (nam consulatus Vespasiani v., & Titii III. una cum censu conjuncti ab ipomet Onufrio in annum dcccxxviii.) reliqui sunt anni cxxxviii. qui est secundus Tullii. Unde anno fere primo, vel secundo censum ab illo conditus videtur. Sed quoniam Censorinus non plenos dcl., sed paullo minus intercessisse docet, actus est census anno fortasse Tullii iv. vel v. vel vi. neque enim certò definiti potest ante decimum quidem peractum fuisse, Censorini auctoritas suadet, cujus verba mendosa esse temere divinat Scaliger. Nos itaque contra Onufrium, & Scaligerum pertendimus, ante annum

III.

De origine lustro-

annum regni decimum, primum lustrum instituisse Tullium, Cenforini loco freti, in quo dicitur numerum agnoscit Onufrius ad annum Urbis dcccxxvii, cum de lustro Vespasiani agens eundem citat auctorem. Nam quod ex Livio colligit Onufrius, post Etruscos debellatos censum à Tullio factum esse: negamus id ex Livio concludi posse. Hic enim res à Tullio gestas sine ullo temporum ordine percensens, primum bellicas, deinde civiles commemorat. *Cum Veientibus, & Etruscis*, inquit, *primum bellum sumpsit, quibus fortissimè victis insignis gloria victor rediit.* Tum subdit. *Censum primum instituit, &c.* Non dicit, post fortissimam illam victoriam tum demum censum institutum. Ac si pro eo quod de censu post bellum Etruscum meminit, hoc illum posteriori fuisse licet colligere, eadem nos argumentandi vi prius à Tullio conditum esse probabimus; quoniam Dionysius Halicarnastensis lib. iv. priore loco de censu, ac lustro, deque civilibus Tullii institutis, quam de bello tractat. Qui insuper Etruscum illud bellum xx. annis perseverasse narrat. *ὄντι δὲ πλεονεξίασι δέμεινεν ἔτη, σιωχῆσι πλεονεξίασι.* Quibus evolutis, Etrusci sese Tullio penitus subjecerunt. De quo tempore, ac belli totius exitu proculdubio loquitur Livius, cum ait Etruscos fortissimè victos fuisse. Quare non ante xx. annum Tullii censum institutum oportuit; si quid Onufrii ratiocinatio promovet. Enimvero primis regni sui temporibus, & censum, ac lustrum instituisse, & cetera Tullium ordinasse quæ ad civilem administrationem attinent, adeoque antè susceptum cum Etruscis bellum, facile mihi persuadeo: quod cum censu illa, præcipuèque civilium institutionum pars ad militiam ordinandam pertineret, quo nimirum ad sumptus bellicos pro virili quisque contribueret, & ad bellum idonea ætas agnosci posset, credibile sit Tullium saluberrimum, atque opportunissimum illud inventum ad id quoque bellum, quod unicum, & verò diturnum, ac difficile gesserit, imprimis transulisse. Præterea cum ter in Fastis triumphasse de Etruscis Tullium notetur, ac primus triumphus anno cxxxii. sit adscriptus, cur post secundum potius, quam post primum; imò verò post ultimum institutum esse lustrum Onufrius affirmat? Vides quam levi conjectura ducti hæctenus Chronologi omnes lustrorum originem certa illa epocha defixerint.

Sed Scaligerum audiamus, qui alio quodam argumento lustrum primum eo, quo dixerat, anno conditum ostendit; nempe quod in Fastis Capitolinis anno Urbis cdliv, lustrum xlvii conditum, & anno dlxxiv, lustrum quinquagesimum dicatur. Quinquaginta autem lustra sunt anni ccl, qui ab annis 574. abjecti relinquunt 324. Rufus abjice 189. annos Urbis, remanent anni 135, quæ sunt lustra 27. intermissa post primum illud Servianum. Hæc Scaliger. Cujus ratiocinationis quod æquum sit, quantum Dialecticorum est non capiat. Quæ est enim hujus consequentia vis? Anno dlxxiv. lustrum quinquagesimum est conditum, qui sunt anni 250. hi dempti de 574. dant 324. Ergo post annum 189, primum lustrum est conditum. Itane argumentari didicit Scaliger? Nam quid annus ille cccxxiv. ad propositum facit? aut unde xxvii. lustra prætermissa colligit potius, quam xxviii, vel xxix? Quem auctorem ejus rei testem attulit? In eo quippe collectionis cardo consistit, ut xxvii. lustra prætermissa fuisse planum faciat. Deinde verò quemadmodum ex eo, quod in fastis adnotatum sit anno dlxxiv. lustrum quinquagesimum fuisse conditum, horum initium ab anno cccxxiv. repetit: Ita cum anno cdliv, lustrum xlvii. iidem illi fasti conditum esse memorent, propterea quod anni xlvii. per quinque multiplicati annos faciunt 230. ique de 454. abjecti relinquunt annos 224, non minori jure licebit ad eum annum lustrorum illorum revocare primordium. Quod si xxvii. lustra prætermissa sunt, ut putat Scaliger, sive anni cxxxv, detractis totidem 224, relinquuntur anni 89, longè ante natum Tullium, ac sub Tullo Hostilio lustra Romæ constituta fuerint. Quod ut absurdissimum est, ita ex Scaligeri argumentatione non minus rectè, quam illud alterum, sequitur. Ad hæc lustrum Romanum, sive quinquennium quodlibet sequens post ea sacra, lustrationesive, quibus conditum esse dicitur antecedens, procedere incipit. Exempli causâ, si primum lustrum à Servio conditum est anno clxxxviii, annus quinquenni primus vel est is

ipse, quo certis expiationibus, ac ceremoniis conditum dicitur lustrum, nempe centesimus octogessimus octavus, vel ei proximus clxxxix. Itaque anno cxciii. primum lustrum finitum erit; anno cxcviii. secundum, atque ita deinceps. Unde si anno clxxxviii. lustrum primum à Servio conditum fuit; itémque anno 574. alterum: debuit hoc à priori esse septuagesimum octavum, siquidem lustra nunquam intermissa fuissent. Nam de 574. abjectis 188, restant anni 385, qui sunt lustra solida 77. his adde lustrum anno 188. conditum: septuagesimè octies conditum fuerit ad annum usque 574, si, ut dixi, post illud Tullii primum servata perpetuò fuissent. Nunc omisa sunt 27, ut putat Scaliger. Igitur 51. reliqua sunt; adeoque anno 574. non quinquagesimum, sed quinquagesimum primum adscribendum erat, si vera esset Scaligeri disputatio. Sed lustra videlicet multis annis omisa, & identidem longo intervallo repetita esse, fidem faciunt annales veteres. Falsi verò Capitolini numerum eorum fideliter adnotant; ita tamen ut ex eis nihil de illorum initio possit colligi. Postremò mira est inconstantia, dum post annum clxxxix. lustrum esse conditum asseverat; quod paulò antè statuerat anno ipso clxxxviii. à Tullio ceptum fuisse.

CAPUT LXXVIII.

De Romani anni veteris labe.

INTERCALARIS Merkedoni beneficio Romanum annum cum solari conciliatum fuisse ex superioribus intelligi potuit. Quare si intercalationem diligenter observassent, constans illius anni status, & cum Juliano concordissimus fuisset. Sed Pontificum libidine, penes quos intercalandi provincia fuit, & aliis de causis est factum, ut paulatim anni caput sua sede dimoveretur; sic ut Januarius tandem in Autumno perveniret. Auctores hujus rei sunt Suetonius, Cenforinus, Macrobius, & alii, qui hoc docent; Pontificis odio vel amore publicanorum, quò vel citius, vel tardius illorum tempora præterirent, aut ut magistratibus perinde tempus protogarent, aut è contrario minuerent, sæpè intercalatione aut omisa, aut præcipitata annum evertisse. Quòd Januarius pedetateim sede sua luxatus sit, certis ex conjecturis colligit Scaliger. Quarum nonnullæ rectè ab eo disputantur, alias contagione doctrinæ suæ, ac falsitate infecit. Hujus generis est exemplum illud, quod ex Urbis capta tempore deducitur: quod quidem Plutarchus Plenilunio solstitiali contigisse memorat. Refellit autem ex eo Scaliger, quòd tum Olympiadi mensis Neomenia incidit in xi. Julii. idè xxv. Julii Urbis capta sit. At solstitium Græcia vocabatur viii. Julii, post quam diem Neomenia omnis Olympica, atque adeò Græciæ totius incipiebat. Quare fallitur, inquit, Plutarchus. Verum & rectè sensisse Plutarchum, & Scaligerum perperam de capta Urbis anno statuisse, suo loco docebitur, cum de anno capta Urbis agetur. Hæc autem, quæ ad negotium istud ex anni Olympici, & Græci, ac methodo Græcæ Tetraeteridos assumit, quam sint falsa, & conficta, satis in primo libro demonstratum est.

Igitur ex aliis exemplis Romani anni corruptela deducitur, quorum nonnulla hic adscribam. Ac primum ille ipse capta Urbis annus suo loco planum faciet, Januarii principium in Decembris ferè vi. incurrisse. Item Livius est auctor anno Urbis conditæ dlxiv, Scipione & Lælio Coss. ante diem v. Eid. Quintiles obscuratum Solem. Convenit tempus xiv. Martii Juliani, feria II. Si igitur Julii Romani dies xi. in Martii xiv. inciderat, ejusdem Kalend. in iv. Juliani Martii conveniebant; atque idè Januarius Romanus Septembris Juliani die circiter octavo congruebat, sequens verò Augusti xxvii. Ad hæc, ut idem Livius refert Dec. v. lib. iv. Coss. Æmilio Paulo, & Licinio Crasso, Urbis dlxxvi. nocte, quam pridie Non. Septemb. consecuta est dies, defecit Luna; inter iii. & iv. Septemb. At in anno Juliano contigit illud idem deliquium inter xxi. & xxii. Junii, feria III. Per. Julianæ anni 4546. Proinde Septembris iniiit xviii. ferè Junii: Januarius circiter Octobris xxiv. At prioris anni Januarius, Octobris xiiii.

Ceterum in ambobus illis exemplis aberravit Scaliger pag. 177. Nam primam eclipsim, quæ a d. v. Eid. Quintil.

Quintil. in anno veteri Romano accidit; Martii Juliani xiv, confert in annum Urbis dlxi. Per. Jul. 4524. Atqui anno isto Per. Jul. ex ipsius Scaligeri sententia, cepit annus Urbis dlxiv, quo etiam deliquium illud incidit, Coss. Lucio Cornelio Scipione, & Lælio: ut perspicue Livius docet; non utique Acilio Glabrione, & Nafica Coss. qui anno superiore Consulatum gesserunt, anno dlxii, non dlxi. Præterea feria II, non vi, eclipsis accidit. erat enim littera Dominicalis B. In priori editione hoc ipso in cap. paullulum diversam, sed non minus gravem hallucinationem commiserat. Etenim anno Urbis conditæ dlxi, Coss. Marco Acilio Glabrione, & P. Corn. Scipione Nafica defectum illum Solis a d. v. Eid. Quintil. contigisse scribit, Cyclo Solis xv, Cyclo Lunæ xix. feria v, anno Nabon. 556, Mechir xxvi. Quod tempus ait congruere iv. nocti Aprilis, quæ sunt *ἀπρίλιου*. Annus Urbis in eadem priori editione pag. 214, ut & in posteriori editione, tribuitur anno Per. Jul. 3961. Ex quo sequitur, annum Urbis dlxi. incurrit in annum Per. Jul. 4522. qui cyclum habuit Solis xvi, lit. D, Lunæ cyclum xix. Pessimè itaque cum cyclo Lunæ xix. cyclus Solis xiv. componitur à Scaligero. Quod si iv. nocte sequente, quinto die Aprilis eclipsis contigit, cadet in feriam vii, vel i. Sed eclipsis ista non Coss. Acilio, & Nafica, sed Scipione, & Lælio contigit, anno Urbis dlxiv, cyclo Lunæ II, Solis xvi, Martii xiv, ut & Buntingus observat pag. 159. Quamquam alia Solis defectio convenit post Aprilis iv. diem, anno illo, quem Scaliger exhibet. Nam latitudo Lunæ in Frifcis Tabulis est 5, 24, 46', quæ est eclipsica. sed non est illa ipsa, cujus meminit Livius. Secundum Solis defectum accidisse putat Scaliger in posteriori editione, anno U. C. dlxxxiii. Per. Jul. 4546. Junii xxi, feria III. cyclus erat Solis x, Lunæ v, littera B. Sed hic annus Urbis ex Varroniana, quam Scaliger amplexus est, putatione, est dlxxxvi. Itaque in priori editione confertur in annum Urbis conditæ dlxxxv. Rectè quidem, ex Fastorum Capitolinorum, & ea quam Catonianam appellat Scaliger, sententia. Pessimè autem, si, ut ipse tenet, condita Urbs est anno Per. Jul. 3961. Nam ex eo necesse est annum illum Urbis esse dlxxxvi. Plura sunt exempla, quæ ex Ciceronianis epistolis cumulat Scaliger, ut labem illam veteris anni, & luxationem mensium afferret, quæ nos confuso præterimus. Luculentissimè verò illud idem astruit Confusionis annus, & emendatio Juliana, de qua libro quarto dicitur.

Quod autem miratur in libri hujus fine Scaliger, cum Januarius in Octobris finem incidere, Ciceronem nihilominus in quadam ad Tironem Epistola hunc hortari, ut ne Novembris hiberno mense naviget, nihil cur tantopere miraretur, causæ admodum fuit. Locus est Epistola viii. lib. xvi. ad famil. ubi nulla temporis nota, nullas mensis exprimitur. Verba Ciceronis ista sunt. *Tamen te penitus rogo, ne tam longa navigationi, & via per hiemem, nisi bene firmum, committas, &c.* Quoto mense, ac die scripta sit hæc Epistola, non constat; sed

ex antecedenti, & sequenti colligas, Novembris datam fuisse. Tironem egrotum reliquerat Patris, & longior morbus fore videbatur; Itaque initio hujus epistolæ sibi nunciatum indicat. Quare non eodem Novembris mense convalescitur sperabat, atque ad se rediturum: sed post unum aut alterum à Novembris mensem. Fingamus eo quò scribebat anno Cicero, Januarius incidisse in Octobrem exeuntem, vel ineuntem Novembrem Julianum. Igitur intemptiva aliqua intercalatione potuit Januarius, & anni caput in Novembrem exeuntem summoveeri; atque hoc pacto Novembris ineunte. Octobri verò Juliano itidem exeunte, scribi ad Tironem Epistola potuit, admonerique, ne post recuperatam valetudinem Decembris videlicet Juliano navigaret. Ita bellè omnia constant; nec est adeo nodus ille vindice, aut Scaligeriana hæsitatio dignus.

Sed finis sit. Jam enim in immensum libri hujus de Emendatione temporum secundi Elenchus excrevit. Causam longitudinis attulit infinita seges hallucinationum, *παρὰ χρηματικῶν*, somniorum, errorumque, quos in hunc librum copiosius inferciit. Itaque ab initio ad finem usque ex tot, & tam variis inventis, ac Periodorum descriptionibus, & capitibus, ne unum quidem est, quod solidi verique speciem ullam habeat; quodque non falsissimum, atque aut aliis ipsius dogmatibus, aut certissimæ, exploratissimæque veritati contrarium deprehensum hæctenus fuerit. Quamobrem licet hic, ut in priore libro factum est, Elenchi totius summam brevi epilogo subducere.

Eorum quæ adversus librum II. de Emend. Temp. disputata sunt epilogo.

HÆCTENUS igitur ostensum est, falsa esse, confictaque omnia quæ de annis *πρωτοβίαις*, deque Octæteride Cleostrati, Harpali, Eudoxi disputavit Scaliger. Tum perperam ab illo descriptam Metonis Periodum, commentitiumque Philippi cyclum: nec minus illum falsò de Calippi Periodo scripsisse, ut & de Alexandria Periodo Chaldaeorum, Syromacedonum, Judæorum, Hipparchæam item Periodum, Hagarenam, Samaritanam, Arabicum annum solum; tum Judæorum annum novitium; & eorumdem Autumnalem veterem; annum insuper Hegiræ, Judæorum, Kairân; Cyclum Tessarescaecatitarum, Christianorum Octæteridas, ac Tessarescaecateteridas Paschales, Hæcædecæteridem Hippolyti, cyclum Paschalem Alexandrinorum, cyclum Latinorum, Paschales Periodos reliquas, Theophili, Cyrilli, Victorini, Dionysii Exigui, magnum annum Democriti, cyclum lunarem Saxonum, veterum Gallorum annum, ac postremò Romanorum hæc, inquam, omnia demonstratum est, partim conficta penitus, partim Scaligerianis commentis esse depravata: nihil verò in illis esse ab ipsis ingenio profectum, quod non mendacissimum absurdissimisque sit. Itaque cum hæc ipsa sint libri secundi de emendatione temporum capita:

Quicquid in Libro secundo de Emendatione temporum ab sua industria ingenioque profectum ac novum attulit Scaliger, hoc omne falsum, & commentitium est. Quod erat demonstrandum.